

## DE SOLUTIONIBUS ET LIBERATIONIBUS.

### 8.43.1

*Imp. Antoninus A. Aristaenetae.*

In potestate eius est, qui ex pluribus contractibus pecuniam debet, tempore solutionis exprimere, in quam causam reddat, quod si debitor id non fecit, convertitur electio ad eum qui accepit, si neuter voluntatem suam expressit, prius in usuras id quod solvit, deinde in sortem accepto feretur.

*PP. prid. non. Iun. duobus Aspris consss.*

[a. 212]

### 8.43.2

*Imp. Alexander A. Bassae.*

Liberari fideiussores, quotiens fiscus tam creditori quam debitori, licet diversis stationibus, succedit, ius certum est. Quod et in tua persona procuratores mei custodient.

*S. k. Iun. Lupo et Maximo consss.*

[a. 232]

### 8.43.3

*Imp. Gordianus A. Apollonio.*

Si, cum servus liberam peculii administrationem haberet, mutuam pecuniam ab eo acceperisti, eique ante ademptum peculium vel priusquam ademptum cognosceres eam exsolvesti, ea solutione liberatus es.

*PP. V k. Oct. Pio et Pontiano consss.*

[a. 238]

### 8.43.4

*Idem A. Rufinae.*

Nihil intereat, utrum creditori pecuniam mutuam solveris, an ex eius voluntate servo numeraveris, nec enim ex eo, quod creditor in fatum concessit, priusquam instrumenta redderet, evacuatae obligationis vires reparari queunt.

*PP. prid. id. Oct. Pio et Pontiano consss.*

[a. 238]

### 8.43.5

*Idem A. Celso.*

Nulla tibi adversus creditorem alienum actio superest eo, quod debitam ei quantitatatem offerens ius obligationis in te transferri desideras, cum ab eo te nomen comparasse non suggeras, licet solutione ab alio facta nomine debitoris evanescere soleat obligatio.

*PP. XV k. Nov. Pio et Pontiano consss.*

[a. 238]